881
P4.Ymu

Mueller

UNIVERSITY
OF ILLINOIS
LIBRARY

OTTO HARRASSOWITZ
LIBRARY AGENT
:LEIPZIG:

THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
LIBRARY

881
P4.Ymu

CLASSICS

Quomodo Pindarus chori persona usus sit.

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine

Universitatis Alberto-Ludovicianae Friburgensis

impetrandos

scripsit

Imre Mueller

Boiczaensis

Darmstadt 1914

C. F. Wintersche Buchdruckerei

De dissertatione probanda rettulit

Alfredus Koerte

examina superata sunt
die XXXI mensis Iulii MCMXIV.

881
P4.Ymu
Classics

1 Au 22 J.C.A.

Alfredo Koerte

sacrum.

vahlen dupo 16 Mr 16 Harrassowitz M 2.30

440058

Quis audet excutere illam quaestionem de Pindari choro, de qua iam satis superque a viris doctis est actum? Num quis denuo vult negare Pindarum nobili e gente esse progenitum? Longum abest ut hanc opinionem velim redarguere indignam tanto poeta. Quisquis Pindari non ignorat sublimes sententias atque nobile ingenium, numquam dicet hunc inopem esse versificatorem. Par fuit omnibus nobilibus, principibus, regibus. Itaque horum se amicum dicere, his dare consilia sine ulla arrogantia superbiave potuit. Tanto poetae licuit carmine quo sustulit in caelum amicum atque memoriae tradidit amici praeclare facta, aliam ostendere regnandi rationem, licuit docere eum vel etiam reprehendere. Iam e carminibus primae iuventutis, cum gloria huius adulescentis viginti fere annorum non iam per totum orbem terrarum erat pervagata, illa nobilis natura nobileque ingenium illud elucet.

Sed quorsum tandem haec disputatio? Nonne invenit iam Tycho Mommsen[1] illam legem vel statuit, eum qui loquatur in Pindari carminibus semper esse poetam ipsum? Quisquis porro Wilamowitzii[2] docta ac gravia argumenta non probat, nugas agere videtur. Tamen aliter sentire non vereor; excitant enim animum meum illae in campis Aegyptiis nuper inventae Pindaricorum reliquiae carminum. Quibus inventis illius a Mommsenio exstructi aedificii dilabuntur fundamenta. Hic vir doctissimus ita sibi persuaserat Pin-

[1] Tycho Mommsen, Pindaros. Kiel 1845.

[2] Sed nunc aliter iudicare videtur (cf. Sitzungsberichte d. Berl. Ak. 1908 852 et Sappho und Simonides, p. 252 adn. 2), quod quidem paeanes et parthenia attinet.

darum ipsum omnibus in epiniciis et aliis carminibus loqui nec quidquam valere ad res carminibus tractatas chori personam, ut vel ex aliquo Pindarici carminis fragmento de poetae vita aliquid vel potius de domo patria concluserit, quod usque ad nostram aetatem certis quidem argumentis refelli non potuit, nunc vero aliquot Pindari carminibus frustulatis recenter inventis prorsum falsum esse evincitur. Pindari enim domum docet Mommsen a. l. p. 2 et 3 esse circumdatam cupresseto, fragmento allato, quod invenitur apud Plutarchum de exilio 9 (fr. 126 Boeckh, fr. 154 Schroeder):

ἐλαφρὰν κυπάρισσον φιλέειν
ἐᾶν δὲ νόμον Κρήτας περιδαῖον.
ἐμοὶ δ' ὀλίγον μὲν γᾶς δέδοται, ὅθεν ἄδρυς·
πενθέων δ' οὐκ ἔλαχον οὐδὲ στασίων.

Ad hos versus explicandos praeterea hoc addit Boeckhium (II 2, 632) secutus Christ p. 415 editionis maioris 1896:

„Idem carmen respicit Synesius laus calv.77: ἂν μὲν γὰρ ᾖ Πινδάρου τυγχάνειν εὐχῆς καὶ ζῆν ἔχωμεν ἀπὸ τῶν οἰκείων, ἐν καλῷ τοῦ θεάτρου καθιζησόμεθα κτλ.“

Dant igitur hos versus a Plutarcho traditos Pindaro ipsi pronuntiandos, sed erraverunt viri doctissimi. Docet enim nos paean editionis ab O. Schroedero curatae quartus (v. 50 sqq.) et hos versus, metrica forma nostri carminis comparata cum Plutarchi metris, a Plutarcho esse male relatos — exstant vero non nisi frustula horum versuum in papyro[3] — et chorum qui in hoc carmine loquitur his verbis inducere Euxanti Cei personam, qui patriam suam amabat tantopere, ut chorus ipsius amat patriam.

---

[3] Haec leguntur:

ἔα, φρὴν κυπάρισσον, ἔα δὲ νόμον Περιδάϊον

versus columna sequentis plane perierunt, sed in margine scholii reliquiae cernuntur δέ]δοται θάμ[νος et λάχο[ν, unde Blassius Plutarchi verbis nisus refinxit sagaciter poetae verba:

ἐμοὶ δ' ὀλίγον δέδοται, θάμνος δρυός
οὐ πενθέων δ' ἔλαχον, οὐ στασίων.

Priusquam ad singula carmina secundum propositum meum perscrutanda transeo, sententias virorum doctissimorum, quos iam nominavi, et his contrarias aliorum esse referendas puto, ut eamus bene parati ad rem.

Tycho Mommsen igitur illam statuit legem poetam loqui in omnibus carminibus praeter dithyrambos ex. gr. fr. 45 [= fr. 75 Schroederianae editionis]: in aliquot epiniciis dicit licere nobis haerere, sed analogia reliquorum locorum nos cogi. Wilamowitz post hunc in editione Euripidei Herculis[1] I p. 71 sq., ubi loquitur de ortu tragoediae, hoc fere censet: Iam Alcman usus est choro ut instrumento, etiamsi aliquoties in pompis, in sollemnibus poetae persona recedit. Stesichorus porro tum narrat ac recitat versus velut Homerus, tum de suis rebus loquitur per choreutas. Sed Pindarus et Simonides, ubicumque carmina componunt, pro deis an pro hominibus, non nisi hanc unam in componendis carminibus consuetudinem sequuntur quasi legem: carmen est vox poetae; in omnibus sollemnibus atque ubicumque haec carmina a choro aguntur, nil est nisi poeta et audientes; chorus numquam valet quidquam.

Contra Studniczka in libro „Kyrene“ p. 73 sqq. et Gilbert in libro „Studien zur altspartanischen Geschichte“ p. 64 sqq. hanc legem Pindarum sibi statuisse negant singulaque carmina aut Pindaro aut choro tribuunt.

Medium fere locum tenent Thiersch in Pindari carminum editione I p. 261 et Odofredus Mueller in libro Orchomenos[2] p. 323; qui in carminibus per vices poetam et chorum loqui asseverant.

Ut exponam vero id quod ego sentio, agam primum de parthenio quodam Pindarico nuper Oxyrhynchi reperto (Oxyrh. Pap. IV 659), in quo res patet, tum de paeanibus quibus docemur de via ac ratione huius rei tractandae, denique de eo quod iam saepe decantabatur, de aliquot quidem epiniciis.

Atque primum de singulis carminum generibus quae tractanda mihi proposui, pauca verba faciam.

Parthenia nomen capiunt ex eo, quod cantantur haec carmina a virginum choro. His puellis poeta suas cogitationes gravissimas acerrimasque atque forti dignas viro commendare neque voluit neque potuit. Lenibus autem sententiis respondet ac convenit suavis atque subtilis forma. Hoc bene intellexit Dionysius Halicarnassensis qui dicit in libro de Demosthenis elocutione 39, p. 213 ed. Us. Rad. καὶ παραδείγματα δὲ αὐτῆς (scil. τῆς αὐστηρᾶς ἁρμονίας) ποιητῶν μὲν καὶ μελοποιῶν ἡ τ' Αἰσχύλου λέξις ὀλίγου δεῖν πᾶσα καὶ ἡ Πινδάρου, χωρὶς ὅτι μὴ τὰ παρθένεια καὶ εἴ τινα τούτοις ὁμοίας ἀπαιτεῖ κατασκευάς.

Horum Pindari carminum tres fuisse libros grammatici antiqui ostendunt, quorum tertius continebat τὰ κεχωρισμένα τῶν παρθενίων. Ac mea sententia haec tertii libri carmina non sunt parthenia ut nonnulli putant, sed varia quae ab Alexandrinis grammaticis non in certam carminum speciem inseri potuerint, ceterum quod ad formam vel naturam attinet partheniis similia. In partheniis numerantur et daphnephorica, qua de re longe disserit Proclus in Chrestomathia a Photio in bibliotheca servata (p. 247 sq. scriptorum metricorum ed. Westphal).

Accedamus nunc ad parthenium quod est fragmentum 104[d] Schroederianae editionis anni 1914; virgines hoc fere canunt:

v. 26—36: ἀλλὰ ζωσαμένα τε πέπλον ὠκέως
χερσίν τ' ἐν μαλακαῖσιν ὅρπακ' ἀγλαόν
δάφνας ὀχέοισα πάνδοξον Αἰολάδα σταθμόν
υἱοῦ τε Παγώνδα
ὑμνήσω στεφάνοισι θάλλοισα παρθένιον κάρα σειρῆνα δὲ κόμπον
αὐλίσκων ὑπὸ λωτίνων μιμήσομ' ἀοιδαῖς
κεῖνον, ὃς Ζεφύρου τε σιγάζει πνοάς κτλ.

et v. 45—52:
ἐμὲ δὲ πρέπει παρθενήϊα μὲν φρονεῖν
γλώσσᾳ τε λέγεσθαι.
ἀνδρὸς δ' οὔτε γυναικὸς, ὧν θάλεσσιν ἔν
κεῖμαι, χρή με λαθεῖν ἀοιδὰν πρόσφορον.

πιστὰ δ' Ἀγασικλέι μάρτυς ἦλυθον ἐς χορόν
ἐσλοῖς τε γονεῦσιν κτλ.

Tenui manu lauream ferentes procedimus; cantabimus de Aeoladarum gente; ferentes coronas in virginali capite, Sirenarum imitamur cantum. Omnia autem huius gentis egregia atque admirabilia facinora enumerare atque celebrare non possum; quia nil nisi quod teneras virgines decet sentire et pronuntiare mihi licet. Celebrare debeo eos, a quibus cultui divino sum sacrata, eorumque gentem. Agasiclis parentumque dignitatis fideles testes venimus ut choro canamus. A versu 53 usque ad versum 69 breviter narrantur facta ac laudes gentis, tum hiat lacuna satis magna. In versu 70 appellatur puer aliquis Δαμαίνας παῖ, qui daphnephori partes agit et ante virginum chorum antecedit; loquuntur omnes virgines, una voce, singulari forma usae. Reliqua quae hos versus sequuntur, sunt incerta: loquuntur de prima choreutarum quae hunc puerum daphnephoricum qui procedit (v. 70) sequitur. Sed hi 60 fere versus qui bene servati sunt in papyro nobis sufficiunt ad id de quo agimus diiudicandum: nullum sine dubio verbum poeta hic loquitur; virgines in carmine a Pindaro composito narrant id quod faciunt, id quod sentiunt virgines. Hoc proprium esse Pindari partheniorum vel ex hoc uno carmine statuere audeo; id quod neque temere neque audacter statuere mihi videor; nam cum confirmant et constant v. 45 sqq.: „me decet virginalia sentire ac canere", designare mihi videntur id quod huic carminum Pindari generi peculiare fuit. Proprium autem horum carminum erat lepos atque iucunditas et formae et sententiarum: hoc confirmat Dionysius Halicarnassensis allato loco. Ut ergo omnia poetae nostri parthenia lepore erant insignita, ita rationem totam componendorum horum poematum ubique eandem fuisse Pindaro mihi persuasi. Virgines ergo semper in his virginum cantibus suas res loquuntur.

Hisce ex causis carmen quod eadem papyrus exhibet

ante nostrum (fr. 104c Schroed.) non puto esse parthenium, cum chorus dicat vel poeta v. 11 sqq.:

φιλέων δ' ἂν εὐχοίμαν Κρονίδαις ἐπ' Αἰολάδᾳ
καὶ γένει εὐτυχίαν τετάχθαι
ὁμαλὸν χρόνον. κτλ.

Viri igitur hoc carmen canunt vel potius vir hoc loco loquitur — sitne poeta an chorus, hic non diiudico —: ego genti Aeoladarum, quam amo, bonam fore fortunam cupio. Nec antiquae fabulae personam hic loqui e contextu sermonis elucet: sunt preces pro Aeoladarum gente. Non idem peccare volumus quod Tycho Mommsen. Puto rem ita esse ut in epiniciorum libris quibus item pauca carmina a grammaticis inserta sunt, quae non sunt epinicia, sed eidem homini dedicata atque id quod antecedit vel quod sequitur epinicium, ut Pyth. III.[1] Nullo iure contendere possumus carmen fortasse esse sumptum ex specie τῶν κεχωρισμένων τῶν παρθενίων. Tantum hoc dicere possumus hunc cantum esse hymnum in honorem Aeoladarum gentis compositum.

Videamus nunc quomodo res se habeat in paeanibus. Quid est paean? Παιήων fuit deus medicinae artis Homeri temporibus omnibus communis Graecis; deorum nominatur medicus Hom. E 401 et 900; sed vim huic deo primo tantum arcendi malorum a deis et hominibus atque omnium defendendi periculorum, tum arcendi morbos fuisse puto.[2] Haec vis una cum nomine deferebatur iam Pindari temporibus in Apollinem et Asclepium, postea in Iovem (cf. Hesych s. v. Παιὰν Ζεύς: τιμᾶται ἐν Ῥόδῳ), denique in Dionysum, Panem, etiam in Thanatum, quod numen homines liberat omnibus laboribus: ita iam Aeschylus (vel Sophocles) in fr. 255 (Nauck):

[1] Wilamowitz quoque (Gött. Gel. Anz. 1904, p. 623) similiter iudicat ac quaerit, quo modo hoc carmen in ordinem partheniorum sit insertum. Non igitur putat hoc esse parthenium ut O. Schroeder, Berl. Phil. Wochenschr. 1904, 1479.

[2] Sequor Usenerum; cf. Usener, Götternamen, p. 153 sqq.

ὦ θάνατε παιάν, μή μ' ἀτιμάσῃς μολεῖν·
μόνος γὰρ εἶ σὺ τῶν ἀνηκέστων κακῶν
ἰατρός, ἄλγος δ' οὐδὲν ἅπτεται νεκροῦ.

Ita Paeanis dei vis primo aliis potentioribus numinibus traditur, tum deus ipse Paean esse desinit, Paean fit cognomen. Similiter res se habet in carminibus quae paeanes appellantur. Romanorum aetate quae fuerint indoles huius speciei cantuum Servius nos docet his fere verbis ad Verg. Aen. VI 657 et X 738: „Proprie paean carmen laudat Apollinem, abusive omnium deorum.“ Sed cum iam Aeschyli temporibus ut vidimus παιάν cognomen sit θανάτου, usum talem fere qualem Romanorum aetate iam Aeschyli et Pindari temporibus fuisse putare licet. Apollini quidem ἀλεξικάκῳ καὶ σωτῆρι paeanem canebant dedicatum milites et apud Homerum A 472 et apud Thucydidem II 91₂ vel antequam proelium committunt ac subigunt pericula vel post res bene gestas. Itaque vel spem exhibet paean depulsurum esse deum pericula malaque et res bene versurum vel exprimit laetitiam victoriae reportatae vel agit pro fortuna a deo data gratias.

Quod attinet ad formam horum carminum, solent usque repeti ad stropharum finem versus huius fere modi: ἰήιε παιάν. Sed sunt etiam carmina quae possint inseri paeanum ordini hoc ephymnio carentia, ex. gr. Pindari paean VI et IX, Bacchylidis c. XVII qui est paean.

Secundum rerum naturam paeanibus exprimitur populi sententia, metus, laetitia, spes, gratia. Ita res se habet apud Homerum, apud Thucydidem. Videbimus nunc eius indolem apud Pindarum.

Primus paean Thebis actus Apollini dedicatur, qui hic epulis celebratur. Sed reliquiae in papyro minores sunt quam ut de munere chori aliquid ex eis colligi possit.

Certius iudicare possumus de secundo Abderis in Thraciae urbe acto. Invocatur primordio nymphae Phroniae Poseidonisque filius Abderus, a quo heroe nomen ducit

haec urbs, tum Apollo quippe cui paean proprie dedicetur, et Aphrodite celebrantur. Canunt v. 4 παιᾶνα διώξω quae lectio facile ac recte ex . . . ᾶνα . . ωξω quod praebet papyrus constitui potest. Atque Jurenka in LXXI. Philologi volumine p. 182 neminem nisi poetam tale aliquid dicere posse pro certo affirmat innisus 20. versus III Isthmici carminis (= IV_2 Schroed.):

ὦ Μέλισσ', εὐμαχανίαν γὰρ ἔφανας Ἰσθμίοις,
ὑμετέρας ἀρετὰς ὕμνῳ διώκειν.

Huius viri argumentis equidem non vincor. Imagine hoc loco utitur poeta ex aurigarum arte sumpta; ἅρμα διώκειν est curru vehi vel currum vehementer agere; currus imago, ubi de cantu ac carmine loquitur, saepius invenitur apud Pindarum, ex. gr. in Pythico X v. 65:

. . ὅσπερ . . τόδ' ἔζευξεν ἅρμα Πιερίδων τετράορον

et in Isthmico VIII v. 62:

ἔσσυταί τε Μοισαῖον ἅρμα Νικοκλέος
μνᾶμα πυγμάχου κελαδῆσαι.

Pro curru substituit Pindarus in paeanis loco carmen (παιᾶνα) velut Simonides in fragmento 14 apud Hiller-Crusium:

ἀπέλαστον ἵππον ἢ κύνα
Ἀμυκλαίαν ἀγωνίῳ
ἐλελιζομένος ποδὶ μίμεο, καμπύλον μέλος διώκων.

Quibus versibus monet aliquis — choragus fortasse vel poeta — ut in fragmento 16 Simonidis (Hiller-Crus.):

ῥῶσαί νυν ἐλαφρὸν ὄρχημ' ἀοιδᾷ ποδῶν μιγνύμεν.
Κρῆτά μιν καλέουσι τρόπον, τὸ δ' ὄργανον Μολοσσόν.

Monet ad cantandum et saltandum, ad ὑπόρχημα agendum. Chorus igitur, quem aliquis adhortatur, μέλος διώκει. Atque amicus Pindari Thorax Pythici X v. 64: ἔζευξε τὸ ἅρμα Πιερίδων; i. e. commovit poetam, ut componeret carmen; διώκειν μέλος est igitur id quod iam compositum est

agere coram publico, sed nil refert sitne cantus ab eo compositus qui eum agit an ab alio. Choro ergo bene convenit ut hoc de se ipso dicat. Huc accedit grave argumentum Nemei carminis III, ubi in 4. versu choreutae etiam τέκτονες κώμων nominantur: ὕδατι γὰρ μένοντ' ἐπ' Ἀσωπίῳ μελιγαρύων τέκτονες κώμων νεανίαι.

Negat porro Jurenka chorum posse dicere Ἰάονι τόνδε λαῷ παιᾶνα διώξω quia chorus ipse pars civitatis sit Ionicae. Tales mea opinione spinae neglegi possunt. Cur dubitemus quin chorus cives suos hoc modo alloqui possit? Tamen Schroeder (Berlin. Philol. Wochenschr. 1908, p. 163) et Malten (Kyrene, p. 173 a. 2) idem censent ac Jurenka; commoventur hi viri docti certo verbis παιᾶνα διώξω quae quamquam, ut demonstravi, optime choro tribui possunt, tamen nemini nisi poetae convenire sibi persuadent. In versibus qui sequuntur coniicit ac supplet lacunas Jurenka hunc in modum: [Δή]ραινον Ἀπ[ό]λλωνα πάρ τ'Ἀφρο[δίταν μολών]. Talia saepe apud Pindarum inveniri dicit: concedo. Semper Pindarum hoc dicere, ita hoc loco. Haec est vera analogia! Chorus igitur non de itinere facto loqui potest. Quale hoc est argumentum! Revera virginum chorus in Pindari parthenio v. 50 persimili voce utitur: μάρτυς ἦλυθον ἐς χορόν.

Legimus porro v. 24 sqq. paeanis . . . ατινα [τάνδε] ναίω Θρηϊκίαν γ[αῖ]αν ἀμπελό[εσ]σαν τε καὶ εὔκαρπον. Hoc haud dubie non nisi ab eis dici potest qui revera incolunt Abdera Thraciae urbem.

Ei qui hanc terram tenent, sibi tum precantur fortunam sempiternam: μή μοι μέγας ἕρπων κάμοι ἐξοπίσω χρόνος ἔμπεδος. Loquitur hoc carmine πόλις, i. e. civitas et urbs; cives qui pars sunt πόλεως, partes agunt huius πόλεως. Itaque dicere potest v. 28 νεόπολίς εἰμι. Tum appellat Athenas matrem matris suae, cum Teiorum coloniam condidissent Athenienses Teiique nuper Abderam. Diu haesitavi de v. 28 sqq.:

ματρὸς δὲ ματέρ' ἐμᾶς ἔτεκον (sic!) ἔμπαν
πολεμίῳ πυρὶ πλαγεῖσαν. εἰ δέ τις ἀρκέων φίλοις

ἐχθροῖσι τραχὺς ὑπαντιάζει,
μόχθος ἡσυχίαν φέρει καιρῷ καταβαίνων.

Primum quis dicere potest quod praebet papyrus: τίκτω ματέρα? Tum quo jure parva Abderitarum Colonia praedicare potest se peperisse talem urbem. Attamen ἔπιδον quod coniecerunt Grenfell-Hunt, per se mihi minus placet. Nam contextus sermonis hic est[1]:

„Ego sum colonia recenter condita; sed tamen iam adiuvi Athenas; bona fruetur fortuna, qui suo tempore celeriter amicis succurrit; hoc ego feci." Sed cum pro ἔπιδον vel ἔτεκον nil melius invenerim, locum ita intellegere debeo, ut in hoc verbo corrupto insit haec vis: vidi Athenas eo tempore, quo fuerunt deletae (πολεμίῳ πυρὶ πλαγεῖσαν v. 30) et quo a me sunt pro meis opibus adiutae. Abderitae autem ipsi ita loqui possunt, qui conspexerunt Athenas, non urbs vel virginum chorus, quae hoc carmen urbis nomine cecinisse dicuntur a Wilamowitzio (Sappho und Simonides p. 252). Vir doctissimus ad hanc falsam opinionem commovetur versibus 96 sq., ubi virginum cantus commemorantur.

Idem noster chorus virorum Abderitarum pergit in stropha secunda v. 39 sq.: μάρναμαι μὰν . . . δᾴοις atque narrat de equitatu suo, cui fretus urbem defendet. Tum canunt de eis facinoribus quae fecerant Abderorum cives omnium temporum, imprimis actorum. In strophis sequentibus v. 50—80 nil inest quod proposito nostro conducat.

In ultima tandem epoda (v. 96—108) chorus ad heroem Abderum inclamandum revertitur. Sed in hoc loco interpretando non congruo cum Jurenka. Legimus in papyro ab editoribus Anglis bene restituta:

[νόμ]ον· ἐμο[ὶ δὲ ἑκὼ]ν V. 102
ἐσ[λῶν ἐ]ὐκλέα [. . .]ν χάριν,
[Ἄβδ]ηρε, καὶ στ[ρατὸν] ἱπποχάρμαν
[σᾷ β]ίᾳ πολέ[μ]ῳ τελευ[ταί]ῳ προβι[β]άζοις.

[1] Hoc loco sequor omnino Jurenkam.

Vocem ἑκών inanem esse censet Jurenka, qua re commotus aliud verbum quaerit nec facile invenit; affert propositum a tirone aliquo ἐπέων pro ἑκών. Adducitur fortasse annotatione scholiastae in margine facta: τὴν ᾠδήν qua revera νόμον interpretatur vetus interpres. Quid offendamur hoc loco? An Pindarum corrigere conemur? Similia enim dicit Pindarus in admonitione Peliae ad Iasonem Pyth. IV 165:

τοῦτον ἄεθλον ἑκὼν τέλεσον

ac persimile in precatione ad Apollinem facta Pyth. VIII 67:

ὦναξ, ἑκόντι δ' εὔχομαι νόῳ
κατά τιν' ἁρμονίαν βλέπειν
ἀμφ' ἕκαστον, ὅσα νέομαι.

Recte abiecit Arnim (Wiener Eranos zur 50. Vers. deutscher Philologen in Graz 1909, p. 8 sq.) participium κραίνων ab Anglis v. 103 receptum, quod hac forma verbi vis minuatur precum; proposuit πρᾶξον, quod mihi placet, cum satis plane sententiam exprimat. Jurenka substituit τεῖσον vel τεῦξον atque denique pro voce ἑκών, quae ei est offensioni, τυχών vocabulo invento hoc modo hos versus interpretatur: poeta rursum hic loquitur; petit a deis gratiam pro cantu — quae vis inest in ἐσλῶν — gratiam Abderitarum victoriae ac simul suae gloriae. Sed cur deflectamus sermonem a choro ad poetam. Equidem hunc locum sic intellego: proficiscar a notione vocis ἐσλῶν, quae est saepe apud Pindarum in singulari ac plurali „bonum, decus, praeclare factum"; pauca exempla afferam:

Nem. IX v. 6:

ἔστι δέ τις λόγος ἀνθρώπων, τετελεσμένον ἐσλόν
μὴ χαμαὶ σιγᾷ καλύψαι.

Nem. X v. 19:

βραχύ μοι στόμα πάντ' ἀναγήσασθ',
ὅσων Ἀργεῖον ἔχει τέμενος
μοῖραν ἐσλῶν quibus verbis idem dicit poeta atque

initio eiusdem carminis antequam haec ἐσλά enumerat v. 2: Ἄργος . . ., φλέγεται δ' ἀρεταῖς μυρίαις ἔργων θρασέων ἕνεκεν.

Sed haec hactenus; redeamus ad paeanem. Enuntiato illo de quo agimus, chorus Abderitarum colligit, quod iam precatur v. 26, nunc hunc fere in modum: Praeclaras res iam gessi, praeclaras ac magnas gesserunt proceres mei, [benevoli fuimus erga Athenienses, fortes pro nostra salute]. Quibus pro rebus gestis me gratia fructurum spero ac cupio. Tibi, o heros Abdere, dedico hoc carmen; te duce, si quando hostis mihi obsistet, — utinam sit postremus et finis hic malorum — equitatus noster victoriam reportabit.

Vidimus igitur, quomodo res se habeat hoc in paeane: chorus haudquaquam est instrumentum; chorus civium, chorus πόλεως dicit id quod cives virosque decet: habito Abdera, pugno fortiter, fortunam desidero.[1]

At dilucide segregari initium ac finem de media parte carminis Malten censet, qui tribuit tantum mediam partem choro, reliquam poetae; Schroeder idem peccat, eandem statuit commutationem personarum, quae ipsi mira videtur. Satis late a me demonstratum esse puto, quam inierit Pindarus viam in hoc poemate pangendo.

Nec vero intellego quomodo chorus ac poeta per vices agant carmen. Quae fuit ratio huius cantus alterni? Quid est illius aetatis atque illius speciei artis poeticae simile? Sumit pro argumento Jurenka parthenion Alcmanis, de quo egit „Sitzungsber. d. Wiener Akad. d. Wiss. 1896 I, p. 129.“ Sed hoc carmen mea quidem opinione item nemo refert nisi virginum chorus, non dramatice actum. Hac de re pauca verba obiter faciam, ut adumbrem sententiam meam: celebrant Agidonis et Hagesichorae pulchritudinem atque canendi facultatem virgines per totum carmen, Agidonis primam:

[1] Cur Wilamowitzii opinioni (Sappho und Simonides 252) chorum constare e virginibus adstipulari non possim, infra (p. 20 sq.) accuratius exponam.

ἔγων δ' ἀείδω
'Αγιδῶς τὸ φῶς· ὁρῶ
Ϝ' ὥτ' ἄλιον, ὄνπερ ἄμιν
'Αγιδὼ μαρτύρεται
φαίνην.

Sed desistunt ab huius admiratione puellae cum videant aliam excellentissimam Hagesichoram:

ἐμὲ δ' οὔτ' ἐπαινῆν
οὔτε μωμήσθαι νιν ἁ κλεννὰ χοραγὸς
οὐδ' ἁμὼς ἐῆ.

Hanc late describunt miranturque χαίταν τᾶς ἐμᾶς ἀνεψιᾶς, Ἁγησιχόρας. Docemur hoc loco has puellas quamvis longinqua cohaerere cognatione, atque audimus fuisse pulchritudinis certamina Lacedaemone inter singularium nobilium gentium puellas. Talis alterius certantis chori pulchritudinem describit chorus noster a versu 60:

ταὶ πελειάδες γὰρ ἄμιν
'Ορθίᾳ φᾶρος φεροίσαις . . .
. . . μάχονται.

Paene de victoria desperatur; ἀλλ' Ἁγησιχόρα με τηρεῖ (v. 77). Salutem affert choraga Hagesichora et illa puella quae maxime pulchritudine excellit Agido. Nusquam Alcman loqui mihi videtur, ubique chorus virginum.

Sed redeamus ad Pindari paeanes, ad quartum paeanem[1], quem Ceis petentibus composuisse Pindarum ut caneretur in Delii Apollinis sacro et hoc carmine et primo Isthmio docemur. Bene primordii lacunas supplevit Blaß hunc in modum:

[τὸν ἀκειρεκόμαν τε καὶ] Ἄρτεμιν
[ὦ Δᾶλε, Λατώ τε χορε]ύσομαι

usus verbis carminis Isthmici I 7:

καὶ τὸν ἀκειρεκόμαν Φοῖβον χορεύων
ἐν Κέῳ ἀμφιρύτᾳ κτλ.

[1] Parcissimae tertii paeanis reliquiae ad rem propositam nihil valent.

Χορεύειν et poeta et chorus dicere potest; in Isthmio significat haec vox carmen componere quod chorus canturus sit. At chorum hoc dicere aeque convenit. Sed certiores fimus versibus 15 sqq., quos Ceorum canit chorus: οὔτοι ἀμείψομαι numquam mutabo quamvis parvam patriam meam cum Babylone, quod tum erat instar urbis et ingentissimae et opulentissimae. Quamquam tantum saxum asperum habito, tamen clarus sum (διαγινώσκομαι) victoriis in Graecorum certaminibus reportatis; meum nomen, scil. insulae nostrae nomen auxerunt Simonides et Bacchylides qui hic nati sunt: μοῖσαν παρέχων ἅλις. A paupertate me tuentur agri mei, qui mihi vinum dant: apud Bacchylidem in carmine VI 5 Ceos nominatur ἀμπελότροφος. Sed — ita pergit chorus — non facere possum rem equariam nec omnino pecuariam. „Attamen patriam meam non relinquam“ confirmant Cei ac sumunt exempla ex praeterito tempore: „Atque etiam clarissimos iam viros idem fecisse non ignoro velut Melampum. Patria et cives mei sunt mihi semper cari; itaque laudo atque semper laudabo (v. 37 ἐπαίνεσα) Euxantium, qui non commovebatur ut summa regna expeteret, quamquam ei hoc licuit, et abiret in extremas regiones.“

Pulcherrima Euxantii verba, quae congruunt cum chori sententia omittere non possum v. 46 sqq.

ἔπειτα πλούτου πειρῶν μακάρων τ' ἐπιχώριον
τεθμὸν π[ά]μπαν ἐρῆμον ἀπωσάμενος
μέγαν ἄλλοθι κλᾶρον ἔχω; λίαν μοι [πω]ς ἔμπεδον εἴη κεν.
ἔα, φρήν, κυπάρισσον, ἔα δὲ νομὸν Περιδάϊον.
ἐμοὶ δ' ὀλίγον δέδοται. θάμνος δρυός. οὐ πενθέων δ' ἔλαχον,
οὐ στασίων.

Ab hoc heroe Euxantio nomen ducitur Ceae insulae apud Bacchylidem II 8 νᾶσος Εὐξαντίς. In hoc quidem paeane toto neminem loqui nisi chorum Ceorum certissimum est. Qua re non mirabimur in versibus 23 sq. poetas Ceos, scil. Simonidem et Bacchylidem, honorifice commemorari:

γινώσκομαι δὲ καὶ
μοῖσαν παρέχων ἄλις.

Quid Pindarus de his senserit, ex his versibus non tam facile cognoscitur ut Schroeder (Berl. Phil. Wochenschr. 1908, p. 164) putat, qui dicit: „ob wohl noch jemand an den Schwarm glauben wird der zwei bloß gelehrigen durcheinander kreischenden Raben?“ Mea quidem sententia bene adnotant scholiastae ad Olymp. II 157 Bacchylidem et Simonidem aemulos acriter perstringi: Homerum aliquoties laudat noster, hos nullo loco. Nil autem valere videmus in paeane nostro poetae personam. Est, velut postea videbimus in Pythico quinto res ita ut Pindarus, sententia sua abiecta, illorum afferat opinionem qui carmen agunt. Pindarus non est tanta inhumanitate ut Ceis, qui in paeane ipsorum eloqui cupiunt sententiam et qui non parvam sane de suae insulae laude ac gloria habent opinionem, hos non concedat versus:

γινώσκομαι δὲ καὶ
μοῖσαν παρέχων ἄλις.

De quinto porro paeanis persona Wilamowitz (Sitzungsber. der Berl. Akad. 1908, p. 352) et Otto Schroeder (Berl. Phil. Wochenschr. 1908, p. 165) dissentiunt. Wilamowitz iudicat de ultima stropha „Das meint natürlich den Chor“. Schroeder contra pro certo affirmat loqui hic poetam, quae sententia confirmari ei videtur ab Horatio, qui poetam nominat Musarum sacerdotem, et paeanis Pindari sexti versu sexto, ubi Pindarus se appellat: Πιερίδων προφάταν. Locus de quo hic ambigitur est v. 44 sq:

Λατόος ἔνθα με παῖδες,
εὐμενεῖ δέξασθε νόῳ θεράποντα
ὑμέτερον κελαδεννᾷ
σὺν μελιγάρυϊ παιᾶνος ἀγακλέος ὀμφᾷ.

Sed obstat Schroederi conclusioni Pind. Ol. III 16, quo loco Ὑπερβορέων δᾶμος dicitur Ἀπόλλωνος θεράπων, quippe quorum in terra:

παντᾷ δὲ χοροὶ παρθένων
λυρᾶν τε βοαὶ καναχαί τ' αὐλῶν δονέονται. (Pyth. X 38.)

Itaque neque haec neque illa sententia de chori usu certis argumentis potest evinci, sed nobis est concedendum frustula servata non sufficere ad quaestionem diiudicandam. Conspicientibus nobis sequentis paeanis exordium eadem elocutio occurrit atque in quinto: λίσσομαι . . .

ἐν ζαθέῳ με δέξαι χρόνῳ
ἀοίδιμον Πιερίδων προφάταν.

Eisdem premeremur angustiis, nisi haberemus versus sequentes. Sed hi nobis sunt servati; quos iam optime interpretatus est Wilamowitz (Sitzungsber. der Berl. Akad. 1908, p. 345). Pindarus narrat: Cum audiverim ad Castaliae fontem non agere choros hoc sacro tempore, venio cum choro ἀνδρῶν, ut et Delphos magna liberem molestia et tribuam deis honorem debitum et tuear dignitatem meam. Infra v. 54 sqq. pergit: Musae, adiuvate me, nam flagro cupiditate carminis fundendi. Narrat tum poeta de Theoxeniis Delphicis ac de morte Neoptolemi Delphis necati cum litigavit olim de carnibus illius sacrificii, cuius particeps Pindarus est hoc tempore: hic est honos, de quo loquitur v. 11. Iuvenes qui agunt carmen monet deinde v. 121:

μέτρα παιηό[ν]ων ἰᾗ[τε], νέο[ι].

Sermonem tum flectit poeta ad insulam Aeginam, cuius antiquam fabulam narrat in versibus valde mutilatis. Aeginetae enim iuvenes hoc agunt carmen. Sed conferamus huius carminis v. 13 sq.:

κατέβαν στεφάνων
καὶ θαλιᾶν τροφὸν ἄλσος Ἀπόλ-
λωνος, τόθι Λατοΐδαν
θαμινὰ Δελφῶν κόραι
χθονὸς ὀμφαλὸν παρὰ σκιόεντα μελπ[ό]μεναι
ποδὶ κροτέο[ντι γᾶν θοᾷ.]

Cum loco secundi paeanis v. 98:

πέ[τρ]αις ὑψηλαῖς θαμὰ Δ[ελφ]ῶν
[ἑλι]κώπι[δε]ς ἱστάμεναι χορόν
[ταχύ]ποδα π[αρ]θένοι χαλ[κέᾳ] κελαδ[έον]τι
γλυκὺν αὐδᾷ [νόμ]ον.

Manifestum est utroque loco eandem rem celebrari. Ergo ex his locis aut utrumque aut neutrum carmen a virginibus cantari concludendum est. Wilamowitz autem secundum carmen virginibus tribuit, sextum esse actum ab Aeginetis iuvenibus vult. De secundo ab Abderitis pronuntiato iam supra (p. 12 sqq.) egi, de sexto Wilamowitzio astipulor.

Aeque atque in hoc sexto paeane Pindarus ipse loquitur in fragmento 16 Oxyrhynchico, quod Angli editores dubitanter coniunxerant cum septimi carminis frustulis miseris, quae iam e papyro Florentina paullo melius restitui possunt (Papyri graeci et latini vol. II 147, p. 77). Recte O. Schroeder in editione novissima ab hoc septimo carmine seiunxit fr. Oxyrh. 16, quod numerat VII b.

Rogat Pindarus Musas, Mnemosynae filias, ut sibi dent εὐμαχανίαν. Similia verba facit poeta Isthm. III 19 sqq. (IV 1):

ἔστι μοι θεῶν ἕκατι μυρία παντᾷ κέλευθος,
ὦ Μέλισσ', εὐμαχανίαν γὰρ ἔφανας Ἰσθμίοις,
ὑμετέρας ἀρετὰς ὕμνῳ διώκειν.

Ut in Isthmico carmine dei, qui victorem tot praeclare facta perficere voluerunt, poetae μυρίαν παντᾷ κέλευθον dederunt, ita precatur poeta in paeane a Musis, ut se adiuvent qui investigat hanc artis poeticae viam — ἑρευν[ᾷ σ]οφίας ὁδόν. Mihi non placet σοφίαις quod praebet papyrus, defendunt Angli, tenet Schroeder. σοφία enim, ubi significat artem poeticam, a Pindaro non nisi singulari numero usitatur: Ol. IX 38, Ol. I 120, Py. I 12, Py. IV 248, Ne. VII 23, Is. VI 18; significat autem σοφία artem medicinam Py. III 54 et pluralis numerus semel tantum nobis occurrit Ol. IX 107 sed hic σοφίαι sunt excellentia in quocumque artium genere. Animadverte praeterea Paean. IX 4 σοφίας ὁδόν. Accedit quod vis vocis ὁδός

metaphorice pro via ac ratione agendi vel dicendi usurpatae ubique genetivo definitur ex. gr.:

Ol. VII 46 πραγμάτων ὀρθὰν ὁδόν,

Ol. I 113 ἐπίκουρον εὑρὼν ὁδὸν λόγων

Ne. VII 51 ὁδὸν κυρίαν λόγων

Fr. 180 (Schroed.) σιγᾶς ὁδός.

Denique non omittam Homeri οἶμον ἀοιδῆς.

Accipio igitur mutationem lenissimam ab Anglis reiectam σοφίας ὁδόν.

Sed qui in hac via — docet poeta — Musis non adiuvantibus procedere vult, huic sunt τυφλαὶ φρένες. Neque vero timet Pindarus, ne harum egeat auxilio; dederunt enim poetae Musae id quod optat τοῦτον ἀθάνατον πόρον. Hic invenimus in papyro πόρον ac superscriptum πόνον a scriba qui non intellexit hanc asperam verborum structuram. At similiter atque in allato Isthmio κέλευθος a deis, hic a Musis datur πόρος ἀθάνατος, illa σοφίας ὁδός versus 16, quae via homines ducit ad immortalitatem. Ergo contra Anglos Schroederumque praefero papyri lectionem priorem πόρον.

Num vero chorus immortalitatem sibi optat, num choro dederunt iam Musae immortalitatem? Minime.

Poetam hic loqui vel elucet e verbo Ὁμήρου sequentium versuum valde mutilatorum.[1] Haud dubium esse puto, quin Homeri afferat exemplum, qui ipse quoque ingenio a Musis inspirato creavit carmina quibus adeptus est immortalitatem. Similiter celebrat Homerum Pindarus in Isthmio III a v. 55 (= IV 37) usque ad v. 63, cuius vim poeticam illustrat qua quisque praedicatus immortalitatem nanciscitur. Item a se ipso victori immortalitas detur hoc carmine. Videamus quomodo hominis vere poetae potentiam laudet pulcherrimis verbis:

ἀλλ' Ὅμηρος τοι τετίμακεν δι' ἀνθρώπων, ὃς αὐτοῦ
πᾶσαν ὀρθώσαις ἀρετὰν κατὰ ῥάβδον ἔφρασεν
θεσπεσίων ἐπέων λοιποῖς ἀθύρειν.

[1] Fr. 17 versum ultimum fragmenti 16 subsecutum esse non certum, at veri simillimum est.

τοῦτο γὰρ ἀθάνατον φωνᾶεν ἕρπει,
εἴ τις εὖ εἴπῃ τι· καὶ πάγκαρπον ἐπὶ χθόνα
καὶ διὰ πόντον βέβακεν
ἐργμάτων ἀκτὶς καλῶν ἄσβεστος αἰεί.
προφρόνων Μοισᾶν τύχοιμεν, κεῖνον ἄψαι πυρσὸν ὕμνων
καὶ Μελίσσῳ κτλ.

Octavus paean nil nobis de quaestione nostra aperit.

Perscrutemur denique paeanem, cuius exordium apud Dionysium Halicarnassensem in libro qui est de dicendi vi Demosthenis (p. 142 ed. Us. et Rad.) exstat, altera pars in papyro nostra Oxyrhynchia. Usque ad hoc saeculum secundum Dionysii verba ambigua[1] hoc carmen in hyporchematum numero habebatur. Sed est precatio ad Apollinem (v. 38); huc accedit quod papyrus nil exhibet nisi paeanes continenter conscriptos. Invocatur primo Sol et rogatur, quid significet quod nuper defecerit. Thebanis arceat malum bonamque det fortunam. Talis spes ac timor paeanibus est proprium. Utrum vero chorus Thebanorum curis pressorum precetur deos an Pindarus pro patria sua, per se diiudicari non potest. Omittamus interim difficilem illum locum v. 21 et accedamus ad id quod nos potius certiores facit. Is igitur qui loquitur v. 33 (μένει?) ἐκράνθη ὑπὸ δαιμονίῳ τινὶ ut cantaret. Hoc dictum optime poetae convenire mihi videtur; vi quadam divina incitatur, summo ardore ac desiderio cantandi vel odae pangendae tenetur. Aequa cupiditate flagrat poeta in sexto paeane v. 68:

ἔρα[ται] δέ μο[ι] γλώσσα μέλιτος ἄωτον γλυκὺν [καταλείβειν][2]

et aliquoties in epiniciis.

Potest item poeta v. 36:

ἀγαυὸν καλάμῳ συνάγειν θρόον
μήδεσί τε φρενὸς ὑμ[ε]τέραν χάριν

[1] ταῦτα καὶ τὰ ὅμοια τούτοις, ἃ πολλά ἐστιν, εἰ λάβοι μέλη καὶ ῥυθμοὺς ὥσπερ οἱ διθύραμβοι καὶ τὰ ὑπορχήματα, τοῖς Πινδάρου ποιήμασιν ἐοικέναι δόξειεν ἂν τοῖς εἰς τὸν Ἥλιον εἰρημένοις, ὥς γ' ἐμοὶ φαίνεται.

[2] Ita Wilamowitz, Sitzungsber. d. Berl. Ak. 1908, 346.

id est chorum ad agendum carmen incitare. χάρις in epiniciis saepius significat carmen victoriae celebrandae destinatum Ol. X 94, Py. X 64 etc. χάρις est gratia deis debita, χάρις est laetitia, qua afficiuntur dei: ita paean χάρις nominatur.

Poeta ergo de se verba facit, poetae reliqua sunt tribuenda. Qua de causa Godofredi Hermanni (Opuscula VIII, p. 85) coniectura in v. 21 ὀλοφύρομαι οὐδέν, ὅπερ πάντων μέτα πείσομαι, ubi in Parisino legimus ολοφυ . . . . δεν ὅτι πάντων κτλ. ac lacunae videmus signum, melius mihi placet quam e. g. Boeckhii ὀλοφυρομένων πάντων μεταπείσομαι. Pindaro dignum est hoc fere dicere: Si nobis, o dei, date malam fortunam, non lamentabor nec querar, quod una cum omnibus civibus vel cum omnibus hominibus patiar. „Lugentibus cum omnibus id perpetiar", ut vertit Boeckh, minus subtiliter atque acute dictum est. Summa dictorum est: Fortis ero nec lamentabor. Neque choro talia apta sunt neque populo. Quidni chorus lamentetur, quidni cives querantur malis obruti? Illis temporibus lamentatio nil miri habebat; sed Pindarus excellit, Pindarus nobilis poeta eminet inter vulgus.

Ita videmus in paeanibus II et IV chorum loqui, in paeanibus VI, VIIb, IX poetam, de reliquis paeanibus certum iudicium ferre nequimus.

Bis igitur chorus non est instrumentum poetae, sed ipse suo nomine canit. Suscepit partes πόλεως, chorus ut pars civitatis, pars civium, pars πόλεως, pronuntiat id quod sentit civitas.

In his duobus paeanibus chorus ipse quoque illas acutas sententias ac gravissimas profert, quas novimus ex Pindari epiniciis; chorus non constat solum e iuvenibus, sed etiam e viris qui experti sunt vitae rationes. Hi viri non sunt tam stulti atque inepti, ut non possint talia verba quasi sua sponte facere ac pronuntiare. Ita, ut in epiniciis, haec dicta sapientia plena illustrantur exemplis ex rebus nuper vel antiquitus gestis ac vice versa post narrationem alicuius facinoris consilia dantur, quae colliguntur ex his factis.

Neque inutile fortasse est comparare in hac re paeanes cum epiniciis.

In v. 31 sq. secundi paeanis monent Abderitae, ut adiuvent amicos periclitantes, cum hoc ferat salutem:

εἰ δέ τις ἀρκέων φίλοις ἐχθροῖσι τραχὺς ὑπαντιάζει,
μόχθος ἡσυχίαν φέρει καιρῷ καταβαίνων.

Similiter Pindarus in Nem. I 31 sq. dicit nolle se integras relinquere in domo sua divitias, sed uti velle his opibus ad amicos adiuvandos, ut postea sint qui ipsum adiuvent in rebus adversis. Omnes enim homines fortunae subiecti sunt vicissitudinibus: cave ne sis sine amicis!

μόχθος ἡσυχίαν φέρει nostri loci explanat poeta Nem. I 70, ubi de Herculis laboribus verba facit: contigisse Herculi

ἡσυχίαν καμάτων μεγάλων ποινάν . . . . ἐξαίρετον.

Alterius tum strophae versus 37 sq.:

. . . ἀλκᾷ δὲ τεῖχος ἀνδρῶν

[ὕψιστον ἵστατ]αι ita intellego: a fortibus ac validis viris urbes defenduntur quasi muro. In mentem hic nobis venit locus ille Pindarici Isthmici V 44/45: τετείχισται δὲ πάλαι πύργος ὑψηλαῖς ἀρεταῖς ἀναβαίνειν. Demonstratur paeanis loco Dissenium recte intellixisse hos epinicii versus adversus illos, qui statuunt insignem sive copiam sive sublimitatem factorum intelligendam esse instar turris in altum surgentis, et contra Boeckhium qui structurum ita instituit: Iam dudum Aeginetis magnum laudum monimentum ab heroibus priscis exstructum est, quod suis exscendant virtutibus excelsis. Sed hunc et illum locum, Dissenii sententiam comprobans, hoc modo intellegi volo: Eximiis virtutibus, summis viribus (ἀρεταῖς, ἀλκᾷ) exstructa est (τετείχισται, ἵσταται) turris ac murus. Sane imagine utitur poeta.

Deinde pronuntiat in v. 47 sq. sententiam, cui similes in epiniciis profert. E scholiis revera corruptis atque ex enuntiato opposito sequentium versuum enucleare possumus hoc fere dici: si civitas civilibus contentionibus diripitur, facile est hostibus urbem opprimere; τὸ δ' εὐβουλίᾳ τε καὶ α[ἰδ]οῖ

ἐγκειμένο[ν] αἰεὶ θάλλει μαλακαῖς ε[ὐ]δίαι[ς]; si vero bonis consiliis cives oboediunt, pax firma est. Idcirco celebrat Pindarus Corinthum Ol. XIII 6 sq.:

ἐν τᾷ γὰρ Εὐνομία ναίει κασίγνηταί τε,
βάθρον πολίων ἀσφαλές,
Δίκα καὶ ὁμότροφος Εἰρήνα, ταμί' ἀνδρασι
πλούτου, χρυσέαι παῖδες εὐβούλου Θέμιτος.
ἐθέλοντι δ' ἀλέξειν
Ὕβριν, Κόρου ματέρα θρασύμυθον.

In v. 57 monet chorus, ut homines gratos se praebeant parentibus:

χρὴ δ' ἄνδρα τοκεῦσι φέρειν
βαθίδοξον αἶσαν.

Idem denique chorus breviter dicit v. 66:

ὁ δὲ καλόν τι πονή[σ]αις εὐαγορίαισιν φλέγει

ac Pindarus Isthm. I 50:

οἳ δ' ἀμφ' ἀέθλοις ἢ πολεμίζων ἄρηται κῦδος ἀβρόν,
εὐαγορηθεὶς κέρδος ὕψιστον δέκεται πολιατᾶν
καὶ ξένων γλώσσας ἄωτον.

Item in quarto paeane illustrat Ceorum chorus amorem patriae etiam his versibus 32 sq.:

τὸ δὲ οἴκοθε[ν] ἄστυ κα[ὶ ἅλικες]
καὶ συγγένει' ἀνδρὶ φ[ίλ' ὥστε καὶ] στέρξαι.

Similia dicit Pindarus de amore patriae Isthm. I 5:

τί φίλτερον κεδνῶν τοκέων ἀγαθοῖς;

Animadvertimus igitur in his paeanibus saepe sententias a Pindaro in epiniciis quoque prolatas; sed spectandum nobis est has praecipue choro civium convenire qui se monent ac dant aliis civibus salutaria consilia. Multum valere ad urbis salutem amicitiam sociorum, virtutem incolarum, concordiam civium, veram in patres pietatem, quae se praestet in conservandis eis quae patres occupaverint, amorem denique patriae: talia dicta ac praecepta optime ac praecipue chorum decent virorum.

In his duobus paeanibus ergo Pindarus choro cantandum dat id quod choro proprium est. Chorus ipse haec omnia quae monet ac praedicat ipse quasi composuisse videtur.

Rationem habet poeta chori naturae aeque atque in illo parthenio.

Quomodo nunc res se habent in epiniciis? Quae est natura epiniciorum? Solebant Graeci, si quis Olympiis, Pythiis, Nemeis, Isthmiis vel aliis in ludis victoriam reportaverat, victorem celebrare carmine. Plerumque victor cum rediit in patriam, a choro iuvenum et amicorum vel omnino civium carmine epinicio celebrabatur: vel in pompa a victore et civibus instituto odae Pindari concinebantur. Sed si minus fuit idoneum victoriae reportatae tempus sive bellis sive civilibus dissensionibus, epinicia postea agebantur redeuntibus ludorum diebus vel alia occasione data.

Num lex quaedam de chori usu pro rerum natura statui potest? Minime. Primo obtutu credideris horum carminum sententias esse choro civium tribuendas, qui canebant haec carmina. Sed non ita est; et id quod iam inter omnes constat, hoc loco repetere mihi licet. Multis locis chori cantus sunt poetae revera verba. Loquitur de Thebis patria, loquitur de sua arte poetica ac vi dicendi ingenua, gratias agit pro victoris hospitio quo fructus sit. Id quod poeta sensit, quod ipse victori dicere voluit atque omnibus qui audiebant, choro mandavit, a quo velut tuba late resonanti poetae voluntas, laus, laetitia late provulgatur.

Inveni apud nonnullos viros doctos de horum carminum actu sententias quae mihi non arrident. Putant enim e. g. Jurenka (Wiener Sitzungsber. 1896 I, p. 4) multa Pindari carmina non esse scripta ut canerentur et recitarentur, sed ut legerentur a singulis, velut facere soleant nostrorum temporum poetae. Nequire illos 299 versus Pythici quarti cantari dicit hic vir doctus: carmen tam longum non posse sustineri. Tales opiniones non sunt dignae viro qui non ignoret antiquorum

temporum mores ac consuetudines. Immo vero tres tragoedias et fabulam satyricam, quae 4000 certe versus efficiunt, antiquae aetatis homines unum per diem atque uno fere tenore agi bono et aequo animo patiebantur.

Haec Pindari pulcherrima ac divina carmina quamvis longa cur eis qui audiebant molestiam attulerint, equidem non percipio. Animadvertite horum dierum homines, qui in hac re minus patientes sunt quam antiquorum temporum: audiunt libenter tot et talia verba ac versus cum cantu recitata per complures horas, audiunt ac bene excipiunt haec opera a Sebastiano Bach, ab Haendelio, a Beethovenio composita quae oratoria vel missas dicimus. Quanto libentius Graeci illius aetatis hos cantus auscultabant, quibus celebrabatur vir patriam per totum fere orbem celebrem reddens, quo celebrabantur urbis praeclare facta, nobilium urbis generum atque urbis ipsius μῦθος, qui tum idem valebat fere rebus vere gestis. Veteres tum Graeci non tam erant ineruditi in rebus musicis quam nostrae aetatis permulti qui contextu non adhibito opera confecta a viris summo ingenio a Musis praedicatis intellegere non possunt.

Atque concinebantur totae hae odae atque universae mea quidem opinione a toto choro nec probo Dissenii (Boeckh, Pindar ed. 1821 II 2, p. 322) aliorumque recentium sententiam, qui confirmant a coryphaeo, qui partes egisset Pindari, nisi ubi ipse poeta coryphaeus fuisset, prooemium vel illud quod e poetae persona dictum esset, pronuntiatum esse. Sed quo loco in carminibus agit coryphaeus, cum poetae persona loquatur tum in prooemio, tum in media parte, tum in conclusione carminis? Connexae atque aptae sunt inter se strophae, antistrophae, epodi nec possunt diripi in partes a coryphaeo recitatas et a choro concentas.

Personae cantantis mutatio debebat e carminum forma elucere. Desidero aliquam designationem loci quo mutatur ratio actus. Sed nusquam tale quicquam invenitur. Animadvertendum denique illud praeclarissimum exemplum carminis

vere dramatice acti in Bacchylidis dithyrambo Theseo: ubi mutatio agentium, ibi strophae est finis. Sed redeamus ad ipsam quaestionem, num quid chorus loquatur in epiniciis. Cum chorus in partheniis et aliquot paeanibus ipsius enarret res, suo precetur nomine ac celebrat homines, cur hoc aliter se habeat in epiniciis?

Suspiciamus primum Pythium carmen quintum, de quo iam multum disputatum est. Atque indagemus, cuius generis hoc carmen sit ac quo tempore sit actum. Quaero igitur, estne hoc carmen vere epinicium, estne factum, ut caneretur in ipsa victoria celebranda an est carmen alius generis, falso a veteribus grammaticis hoc loco insertum quippe quod multum de aliqua Pythia victoria narret? Agitur in versibus 20—53 de victoria Pythiade XXXI = 462 a. C. n. ab Arcesila, Cyrenarum rege, quadrigis reportata. Eadem victoria in quarto Pythio celebratur. Late patet praeterea in quinto Pythio Apollinis laus; in versu 80 Apollo inclamatur Καρνήϊε; qua de causa hic sic appelletur, aliter non intellegitur ac si statuimus actum esse hoc carmen Carneis. Carnea autem, in honorem Apollinis Carnei acta sunt festum proprie Doricum, quae quotannis septimo die mensis Bucati Delphici i. e. Metageitnionis Attici habita esse Plutarchus, sacerdos Pythicus ideoque certus auctor (Quaest. conviv. VIII 12), atque paulo ante Olympia (cf. Unger, Philologus XXXIII 231) Herodotus (VIII 72) docent. Ita non eodem anno, quo haec Pythica victoria parta est, Pythicum carmen pangi neque agi potuit, quod ludi Pythici certe erant in media parte Metageitnionis; sed spatium unius vel plurium annorum inter tempus victoriae partae et poemate celebratae iacere necesse est. Studniczka vero dubitat an simus recte docti de Carneorum tempore ac putat compluribus tantum diebus post Pythicam victoriam acta esse Carnea. Sed num potuit, si hoc statuimus, tam paucis diebus victor redire in patriam, poeta fingere tale carmen quale non nisi post victoriam fingi potuisse e carmine ipso apparet,

chorus ediscere versus, numeros, modos huius carminis? Neque vero puto quintum post quartum Pythicum esse actum nec res in quarto relatas respici in versibus 29 et 62 quinti, id quod post alios contendit Christ (ed. maior, p. 171). Hoc non potest facile diiudicari, cum eadem victoria eiusdem victoris eadem in urbe eisdem fabulis celebretur duobus in carminibus eiusdem fere temporis. Eadem res bis dici potest aut brevius aut latius pro loco atque occasione data. Iam Boeckh Expl. p. 262 quintum esse prius compositum et actum inde colligit, quod nihil dictum est in quarto carmine de ludorum et victoriae ratione, quam in quinto uberrime tractaverat poeta. Eadem ex re cogit hic vir doctissimus quintum carmen esse proprium epinicium. Sed in hac quidem re eum errasse puto.

Mirandum vero, quod haec duo carmina tam sero agebantur; sed scimus e Pythio V 10 et scholiis ad hunc locum fuisse eo tempore, quo parta est victoria, dissensiones inter cives, pulsum esse e. gr. Damophilum e patria secundum P. IV 263 cum scholiis. Itaque non antequam pax et otium reddita essent Cyrenensibus, victoria celebrari potuit.

Pervenio nunc — ordine male servato, sed ita res postulat — ad illam quaestionem subdifficilem de persona chori et poetae. Cardo totius quaestionis versatur in versibus 75 sq. Sed prius examinanda ea quae his versibus persaepe ac pervarie explicatis antecedunt. Apollo inde a versu 60 celebratur, qui Batto, Cyrenarum conditori ac regis Arcesilai proavo, Delphis ediderat oraculum atque suaserat, ut conderet Cyrenas, qui deus tum bestiis Batto hanc terram adeunti infestis metum iniecerat; deum esse tum Apollinem medicinae artis, quam promoveri inprimis apud Cyrenenses ab Apolline narrat Herodotus III 131; deum porro esse cantus, musicae artis, poesis, quas det artes cui velit. Fortasse his verbis designatur Arcesilas, de quo comperimus v. 114 laudem:

ἔν τε Μοισαῖσι ποτανὸς ἀπὸ ματρὸς φίλας.

Apollinis denique facultate praedicendi Herculis et Aegimii gentes in Lacedaemonum terra esse collocatas. Talem se praebuit Apollo erga omnes quos vult; celebratur dei potentia, praedicatur inprimis dei benevolentia in Cyrenas, in omnes Cyrenenses, in regem, cuius victoriae sane est auctor. „Sed erga me quoque eximie“ — ita fluit optime oratio v. 72 sqq. — „Apollo se praebuit benevolum, qui meam gentem Cyrenas in urbem duxit ab urbe celeberrima Spartae, inde oritur meae gentis gloria.“ Apollinem huius enuntiati esse subiectum veteres ac recentiores interpretes non intellexerunt; Wilamowitz demum rectam invenit lectionem γαρύει, de qua verba facere mihi non opus est. Hic enim — ut breviter repetam, quae iam dixi — est ordo sententiarum: Apollo est benignus erga omnes homines, est benignus erga Cyrenas, est benignus erga me, qui nunc incolo Cyrenas.

„At Pindarus ubicumque loquitur“! — Num actum est carmen Thebis? An Pindarus dixit Cyrenas venisse gentem suam Sparta primum Theram in insulam, tum Thera Cyrenas atque debere gloriam suam Spartae, qua esset orta? Idem Pindarus, qui saepe celebrat Thebas, matrem suam, urbem celeberrimam? Cur ducat gloriam e Sparta urbe?

Conspiciamus versus opinione non ante concepta. Summi momenti est harum sententiarum contextus. Contemplemur haec duo ennutiata „Gloria mea Sparta derivatur“ et „Unde ἐμοὶ πατέρες Aegidae venerunt“ simul cum illis versibus qui sequntur. Quis tandem atque qua de causa in Carneis σεβίζει Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν? Num Pindarus Thebanus? Cuius rei gratia? Num Pindarus, qui numquam patriam suam infitiatur, urbem praeclaram atque notissimam, pronuntiavit gloriam suam esse Sparta ab Apolline Cyrenas latam, celebrare nunc se Apollinis eiusque facti memorem et gratum Cyrenas urbem.

Non nego aliquoties in carminibus Pindarum et chorum simul loqui, sed numquam in carminibus, quae sunt e per-

sona poetae, poeta per chorum aliquid dicit, quod in Pindarum non quadret. An celebraret Pindarus Cyrenas ἀναδεξάμενος πολύθυτον ἔρανον? Quis susceperat Carnea? Nempe πατέρες Aegidae susceperant, omnino Aegidae qui nunc Cyrenas incolunt, qui nunc celebrant Cyrenas.

Idem vero Pindarus de Aegidarum patria haec dixit in Isthm. VII 12 sq., ubi alloquitur μάκαιραν Θήβαν atque enumerat Thebarum urbis ornamenta:

ἢ Δωρίδ' ἀποικίαν οὔνεκεν ὀρθῷ
ἔστασας ἐπὶ σφυρῷ
Λακεδαιμονίων, ἕλον δ' Ἀμύκλας
Αἰγεῖδαι σέθεν ἔκγονοι, μαντεύμασι Πυθίοις;

Pindarus hoc loco Pythico carmini V contradicit, si ipse qui haec dicit, iam illa dicit.

Profert vero in Pythico quinto sententiam quae probabatur a Cyrenensibus, ab Aegidis Cyrenarum urbis, quaeque non fuit Pindari vera sententia. Quid hoc est? Sane idem quod demonstravi in paeane quarto, ubi Cei celebrant suam patriam ob gloriam Ceiorum poetarum Simonidis ac Bacchylidis, qua quidem in re Pindari prorsus diversa fuit sententia. Canit vere chorus, quod chorus sentit. Chori naturae ac sententiarum rationem habet Pindarus, cum choro pangit hoc carmen.

Virorum illorum doctissimorum alias opiniones ambages ac circuitus esse puto[1], qui opinione praesumpta rem inda-

[1] Breviter referam de aliquot tantum horum doctorum sententiis: Boeckh Pindarum nomine Aegidarum Thebanorum quorum poetam unum esse dicit, ita loquentem inducit: „Hinc oriundi venerunt in Theram Aegidae mei avi non sine deis, sed fatum deduxit victimis multis celebratum epulum". Talibus sententiis male coniungi ἔνθεν ἀναδεξάμενοι recte monuit Tycho Mommsen; Boeckhius enim explicando pergit „unde nos susceptam, Apollo, in tua, Carnee, commissatione Cyrenes puchre conditae memoriam veneramur". Tycho Mommsen a. l. p. 10 ἐμόν et ἐμοί ad Pindarum eiusque gentem, ἀναδεξάμενοι ad Cyrenenses refert; difficultates neglegit dicendo p. 16: „Das ist so gut wie gar keine Kühnheit, daß sich das Partizip auf die Kyrenäer allein, das Schlußverb aber auf diese und den Pindar be-

gant Tychonis Mommseni lege obstricti et in magnas incurrunt difficultates suis explicationibus quae tam facile possunt evitari. Hunc locum ita non posse intellegi iam Godofredus Hermann (Opusc. VIII p. 97) recte confitetur et multum mutat et conjicit. Sed difficultatibus bene perspectis quae ratio melior est? Utrum corrigamus ac mutemus textus lectiones non prave traditi an rescindamus legem a viro huiusce aetatis inventam ac statutam?

Pindarus igitur non est qui hoc loco, non est qui toto in carmine loquitur. Omnes difficultates desinunt esse difficultates, cum tribuimus hoc carmen choro Aegidarum, qui Cyrenas incolunt, velut tribuimus secundum paeanem Abderitis, quartum Ceis, parthenia virginibus.

Hi Aegidae Cyrenenses ducebant suam gentem ab illo Aegida Spartano qui Apollinis iussu reliquit Spartam, ut sua gens Cyrenas veniret. Spartam esse quasi matrem Aegidarum fuit fabula ab omnibus credita qui canebant hoc carmen. Chorus igitur Cyrenensium Aegidarum Apollinis enumerat dona, quae sibi tribuerat suaeque genti. Hoc idem vult ille a nonnullis male intellectus versus 76:

οὐ θεῶν ἄτερ, ἀλλὰ μοῖρά τις ἄγεν.

Apollo est θεός, Apollo est interpres dearum quae dicuntur μοῖραι.

Tibi, o Apollo, in omnes dies agemus gratias — sic pergit chorus — pro tua benevolentia; bonam tuam ergo gentem nostram voluntatem iam prius proceres mei agnoverunt; ita te colebant ac veneratione prosequebantur; ita illi nostri maiores, illi ἐμοὶ πατέρες, Carnea sacra tibi propria Spartae susceperunt; ita nunc haec sacra tenemus atque postea tenebimus. Te semper celebramus atque urbem nostram quam nunc colimus cuique semper consuluisti, Cyrenas.

---

zieht". Christius idem peccat. Wilamowitz autem et qui eius premit vestigia Lud. Malten a. l. censent πατέρες hic esse eiusdem gentis socios, non maiores, conferentes verba P. VIII 38 πάτρα Μειδυλιδᾶν; quō argumento non vincor.

Sed nonne mirandum, quod Aegidae soli hunc agunt chorum? Hoc quaerat quispiam atque iam quaesiverunt multi. Nam concinebatur epinicium ab amicis regis omnium nobilium gentium vel a choro eius solum gentis, e qua fuit natus princeps victor. Arcesilas autem est e gente Battiadarum, quod docent quartum ac quintum carmen Pythicum. Sed nostrum carmen est actum diebus festis Apollinis Carnei, quas instituerant Cyrenis Aegidae, quas ferias deduxerant Sparta ex urbe. Non igitur est mirum, quod Aegidae agunt carmen in sacris Aegidis propriis.

Hoc carmine in Carneis acto quis celebratur? Deus Apollo mihi inprimis laudari videtur. Chorus cantum suum nominat v. 23: Ἀπολλώνιον ἄθυρμα h. e. ludicrum Apollini dedicatum, quo delectatur deus quasi puer ludis; deo dicit gratias, qui sit cum victoriae tum multarum aliarum rerum auctor v. 25:

παντὶ μὲν θεὸν αἴτιον ὑπερτιθέμεν.

In caelum effertur Apollo versibus 60—81 enumeratis dei donis, quem locum iam supra explicavi, praedicant deinde v. 90 deum σωτῆρα qui praebet opem contra morbos pestiferos. Praetermitto locum quo confitetur chorus decere Apollinem celebrari a iuvenibus (v. 103 sq.). Totum igitur per carmen Apollinis ducitur laus. Etiamsi plerisque in epiniciis, praecipue — haud mirum — in Pythicis Apollo non neglegitur, tamen haec summa dei laus late cantata in epinicio hominibus proprie dedicato non invenitur.

Praeter hunc celebratur rex Arcesilas; rex enim ipse adest his sacris. Neque mirum mihi videtur quod huius laus ac victoriae narratio maiorem tenet partem carminis quod non est epinicium: est rex Cyrenarum; superat quamvis iuvenis alios aetatis suae indole atque ingenio (v. 109); curaverat gloriam Cyrenarum urbis provulgandam victoria reportata; est omnium Cyrenensium tum in ore atque sermone; sed est admodum adulescens, cui magna imminent pericula,

dissensiones civiles, cui etiam altera victoria, Olympica, ab omnibus desideratur.

Sed non puto chorum adolescentium hic canere, qui non satis multarum rerum habent usum et qui certo minoris sunt sapientiae, prudentiae, ingenii Arcesila rege quippe qui hac re superentur ab eo v. 109:

κρέσσονα μὲν ἁλικίας
νόον φέρβεται
γλῶσσαν τε.

Idcirco non recte mihi videntur iudicare viri docti velut Studniczka (Kyrene, p. 80) chorum esse iuvenum, innisi v. 104:

τὸν ἐν ἀοιδᾷ νέων
πρέπει χρυσάορα Φοῖβον ἀπύειν.

Quid hi versus velint, statim aperiam. Sed viri sunt, qui cantant, viri qui regi aetate minori suadent; ipsi dicunt v. 22:

δέδεξαι τόνδε κῶμον ἀνέρων.

Aegidae nunc vero sunt hi viri; causam suscipiunt Aegidarum gentis; neque sane nego interfuisse paucos iuvenes, sed maxima ex parte viros egisse adultos hoc carmen mihi exploratum est.

Versum autem 104: τὸν ἐν ἀοιδᾷ νέων κτλ. aliter intellego atque alii: haec ἀοιδὰ νέων non est cantus ἀνέρων versus 22, sed est alius chorus, chorus iuvenum. Atque inest voci πρέπει actio activa vel futura; significat haec vox: convenit, dignum est, decet; id vero, quod decet, postulatur ab aliquo, ut faciat aut statim aut postea suo tempore; laudatur, quod fit; monetur, ut aliquid fiat quod neglegi nefas est. Similiter admonitionis loco utitur hoc eodem verbo Pindarus in carmine nostro v. 43/44:

ἐκόντι τοίνυν πρέπει
νόῳ τὸν εὐεργέταν ὑπαντιάσαι.

Chorus igitur qui superat regem aetate et usu, monet et ut erga aurigam Carrhotum cui debeat victoriam non facile partam gratum se praebeat v. 44 iam allato et v. 26:

. . . μὴ λαθέτω . . φιλεῖν . .
Κάρρωτον ἔξοχ' ἑταίρων,

et ut Apollini summos reddat honores qui vere det gloriam victoriae Pythicae v. 23:

τῶ σε μὴ λαθέτω
Κυράνας γλυκὺν ἀμφὶ κᾶπον Ἀφροδίτας ἀειδόμενον,
παντὶ μὲν θεὸν αἴτιον ὑπερτιθέμεν.

Aeque ac nostro loco v. 103:

τὸν (h. e. Arcesilas) ἐν ἀοιδᾷ νέων
πρέπει χρυσάορα Φοῖβον ἀπύειν,
ἔχοντα Πυθωνόθεν
τὸ καλλίνικον λυτήριον δαπανᾶν
μέλος χαρίεν.

Duabus his adhortationibus bis pronuntiatis commonere volunt iuvenilem regem, ut faciat quod facere omisit vel non satis ample fecit: Apollini deo et Carrhotae aurigae reddat gratias iustas ac debitas. Ac mihi exordium quarti Pythici carminis huic admonito respondere videtur:

σάμερον μὲν χρή σε παρ' ἀνδρὶ φίλῳ
στᾶμεν, εὐίππου βασιλῆϊ Κυράνας,
ὄφρα κωμάζοντι σὺν Ἀρκεσίλᾳ,
Μοῖσα, Λατοίδαισιν ὀφειλόμενον
Πυθῶνί τ' αὔξῃς οὖρον ὕμνων.

Per se tale dictum in Pythico carmine non mirum est, sed optime quadrat ad sensum omnium versuum, dictorum mea ratione explanatorum. Praeterea nullum inveni locum Pindaricorum carminum huic loco similem, ubi Pindarus loquatur de carmine alicui deo debitum.

Commotus igitur est Arcesilas a choro Aegidarum, qui auctoritate fruuntur summa ut Spartae (Herodot IV 149) ita Cyrenis, ut a Pindaro peteret carmen vere epinicium, quod suo tempore non potuit agi propter turbas civiles.

Praeter hoc carmen Studniczka iam contendit alia carmina velut Pythicum octavum et Olympicum quartum decimum non e poetae, sed e chori persona pronuntiari; at

breviter tantum monuit nec omnino respexit carminum indoles. Conabor, pro meis viribus, Studniczkae sententiam comprobare.

Inspiciamus primum Pythicum VIII. Locus, a quo orimur, est v. 98:

> Αἴγινα, φίλα μᾶτερ, ἐλευθέρῳ στόλῳ
> πόλιν τάνδε κόμιζε Διὶ καὶ Κρέοντι σὺν Αἰακῷ
> Πηλεῖ τε κἀγαθῷ Τελαμῶνι σύν τ' Ἀχιλλεῖ.

Si quis aliquem alloquitur vocativo et φίλος voce usus, φίλος valet idem ac pronomen possessivum primae personae. Haec sunt Pindari exempla:

Pyth. III 61:

> μή, φίλα ψυχά, βίον ἀθάνατον σπεῦδε.

Olymp. I 3 sq.:

> εἰ δ' ἄεθλα γαρύεν
> ἔλδεαι, φίλον ἦτορ.

Suam animam, suum cor alloquitur Pindarus. In conclusione Pyth. VIII item eius, qui precatur, mater est Αἴγινα. Ut Pindarus Thebanus Thebarum urbis heroinam, patriae heroinam, appellat: Μᾶτερ ἐμά, χρύσασπι Θήβα Isthm. I1, ita in Pyth. VIII. Aeginam appellat matrem nempe is qui Aeginae urbis est incola. A poeta prave pronuntiari hoc votum puto tali modo: „eorum mater, rogo te." Aeginetae igitur pro Aeginae urbis salute precantur: o Aegina heroina, nostra mater, serva nostram libertatem.

Quaeritur nunc totumne carmen a choro possit dici. Carmen est epinicium in victoriam ab Aristomene Aegineta Mydilidarum e gente reportatam Pythiade XXXV = a. 446, quem numerum scholia atque in inscriptione carminis aliquo libri praebent. Ego non habeo, quod ut alii dubitem de hoc numero. Sed rem accuratius inspiciamus.

Anno 456 Aeginetas esse victos ab Atheniensibus et coactos moenia diruere atque tributum pendere scimus. Ante hanc cladem summa floruerunt auctoritate et opibus Aeginae

nobiles gentes; ac iure nobis putare licet popularium ab Atheniensibus adiutorum potestatem crevisse ac fuisse in hac urbe longinquas dissensiones inter optimates et populares. Ita intellegendi sunt πόλεμοι versus secundi cum scholiasta: ἰδίᾳ Αἰγινήταις ἦσαν στάσεις περὶ τὸν τῆς νίκης τοῦ Ἀριστομένους καιρόν. Inclamatur enim Ἡσυχία v. 1:

Φιλόφρον Ἡσυχία, Δίκας
ὦ μεγιστόπολι θύγατερ,
βουλᾶν τε καὶ πολέμων
ἔχοισα κλαῖδας ὑπερτάτας κτλ.

Similiter dicit poeta de Corintho, ubi non sunt dissensiones Ol. XIII 6 sq.:

ἐν τᾷ γὰρ Εὐνομία ναίει κασίγνηταί τε,
βάθρον πολίων ἀσφαλές,
Δίκα καὶ ὁμότροφος Εἰρήνα, ταμί'
ἀνδράσι πλούτου, χρύσεαι παῖδες
εὐβούλου Θέμιτος.
ἐθέλοντι δ' ἀλέξειν
Ὕβριν, Κόρου ματέρα θρασύμυθον.

His imaginibus usus allato loco Pindarus, nostro loco chorus hoc profitetur ac monet: ubi Hesychia, Dikae filia, viget, ubi valet Dika, ibi otium est ac tranquillitas; sed qui iustitiam non veretur — hoc vult ὕβρις Ol. XIII et narratio fabulae Gigantum superborum atque insolentium — qui nimia est insolentia, punietur. Hoc monet chorus Aeginetarum nobilium, qui ante cladem Aeginetarum urbis tenuerunt imperium: contemnunt ac detestantur Athenienses et populares qui vere sunt illi ὑβρίζοντες. „Iniustum est privari nos imperio quod semper tenebamus; sed spem non abiciemus: ruinam praecedit superbia, ὕβρις punietur.“ Atque quae est fragilitas atque infirmitas humanarum rerum! v. 92:

ἐν δ' ὀλίγῳ βροτῶν
τὸ τέρπνον αὔξεται· οὕτω δὲ καὶ πιτνεῖ χαμαί,
ἀποτρόπῳ γνώμᾳ σεσεισμένον.

„Nunc Athenienses, nunc plebs imperium tenent, quam celeriter a deis hominum fortuna commutatur ac vertitur! Iamiam Atheniensium opibus ac potestati finis aderit.“ Ita mihi non dubium videtur, quin chorus Aeginetarum nobilium tristium ac miserorum, sed non omni spe orbatorum hoc fateatur:

ἐπάμεροι· τί δέ τις;
τὶ δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ
ἄνθρωπος· ἀλλ' ὅταν αἴγλα διόσδοτος ἔλθη
λαμπρὸν φέγγος ἔπεστιν ἀνδρῶν
καὶ μείλιχος αἰών.

Hi viri non ignorant hominum fortunae debilitatem. Sed Malten Kyrene p. 172 in his versibus nisus iudicat de toto carmine his verbis: „Sagt das ein beliebiger Chorführer oder ist es das ganz subjektiv vorgetragene, resignierte Altersbekenntnis des Dichters?“ Tale argumentum mihi nullius videtur momenti. Nonne chorus miserorum hominum, nonne fortasse senum chorus dicere potest hominis vitam esse paene nihil? An chorus nihil nisi mediocres ac leves tractat res? Hoc non ita esse iam in paeanibus interpretandis late demonstravi.[1]

Atque hoc loco animadvertendum censeo reprehendi ob hos versus Pindarum ab aliquot veteribus interpretibus, quod talis lamentatio non conveniat encomio. Scholiasta annotat: ἐπιμέμφονται δέ τινες τῷ Πινδάρῳ, ὅτι ἐγκώμιον γράφων θρηνεῖ τὸν ἀνθρώπινον βίον. Sed quam bene accommodavit poeta verba ac sententias in hoc carmine pangendo Aeginetarum nobilium animis acerbo casu concussis! Viri, qui agebant hoc epinicium, non canere potuerunt carmen laetitiae plenum, etiamsi gaudium de victoria talibus epiniciis et encomiis exprimi debebat ac solebat.

---

[1] Concedo has sententias easdem esse ac poetae. Nam res nobilium Aeginetarum fere ipsius res est, cum illis amicissimis dolet et lamentatur. Attamen non est, cur negemus has tristissimas sententias optime convenire Aeginetarum choro.

Anno 447 Athenienses pugna apud Coroneam commissa victi erant; anno 446 hoc carmen agebatur. Ita spem inhiare poterant Aeginetae nobiles sibi quoque. Sed in ea urbe, quae fuit occupata ab Atheniensibus, non dicere poterant id quod vere sperabant fore brevi finem Atheniensium imperii. Idcirco tantum hoc orant a deis: ἐλευθέρῳ στόλῳ πόλιν τάνδε κόμιζε.

Indole vere huius carminis perspecta inspiciamus reliqua, imprimis locum de Alcmaeonis sacello in v. 57 sq.:

> Ἀλκμᾶνα στεφάνοισι βάλλω,
> ῥαίνω δὲ καὶ ὕμνῳ
> γείτων ὅτι μοι καὶ κτεάνων φύλαξ ἐμῶν
> ὑπάντασεν ἰόντι γᾶς ὀμφαλὸν παρ' ἀοίδιμον,
> μαντευμάτων τ' ἐφάψατο συγγόνοισι τέχναις.

Ex hoc loco multi viri docti colligunt Pindarum, cum iter fecisset Delphos, vel Thebis vel in itinere devenisse ad Alcmaeonis statuam vel delubrum ac consuluisse Alcmaeonem de eventu luctae. Sed veteres interpretes aliter sentiunt, qui annotant ad v. 78 et 82:

ὡς ἀπὸ τοῦ χοροῦ τὸ πρόσωπον μιμουμένου τοῦ νενικηκότος. ταῦτα δὲ εἴρηκεν ὡς ὑπάρχοντος ἡρῴου καὶ γειτνιῶντος τῇ τοῦ νικηφόρου οἰκίᾳ, προσυποτίθεται δὲ ὅτι καὶ ὑπήντησε πορευομένῳ εἰς τὸν ἀγῶνα καὶ τῆς μαντείας ἐφήψατο καὶ αὐτὸς ὢν μάντις· ἐμφαίνει δὲ διὰ τούτων, ὅτι ἐγεγόνει τις μαντεία περὶ τῆς νίκης αὐτοῦ et:

γείτων ὅτι μοι: ἐπεὶ οἱ ἀπὸ τοῦ χοροῦ Αἰγινῆταί εἰσιν et alia similia.

Consentiunt omnes veteres de persona loquentium; sed putant has sententias pronuntiari a choro victoris nomine. Hoc mihi minime placet. Chorus enim Aeginetarum nobilium totum per carmen loquitur, idem hoc loco; atque enarrat id quod una cum Aristomene victore fecit, id quod choro cum victore est commune. Sacellum non fuisse in ipsa urbe Aegina, sed prope urbem situm puto; in cuius dei vel herois tutela fuit urbs, fuerunt agri. Haec sunt κτέανα ἐμά. Similiter legitur e. g. apud Aeschylum Sept. 501—3 (Sidgwick):

πρῶτον μὲν Ὄγκα Παλλάς, ἥτ' ἀγχίπτολις
πύλαισι γείτων, ἀνδρὸς ἐχθαίρουσ' ὕβριν
εἵρξει νεοσσῶν ὡς δράκοντα δύσχιμον.

Totam igitur urbem tuetur Alcmaeon. Itaque hos versus sic intellego: Aeginetarum nobilium puerique victoris amicorum qui hoc agebant epinicium una cum puero nunc celebrato ad ludos Pythios profecti hoc Alcmaeonis sacrum, Aeginae urbi vicinum, praetervenerunt. Hoc in templo vel hanc apud statuam Aristomenes atque amici heroem rogaverant, ut diceret sibi qualis foret eventus carminis.

Neque offendit chori precatio, ut Apollo benigne recipiat, quaecumque hoc carmine iure praedicentur. Non modo poetam, sed etiam chorum adiuvant Apollo, Musae, Charites. Tale aliquid certo Abderitae cecinerunt in secundo paeane v. 80 sq.:

σὺν δ' αὖ γλυκυμαχάνων
. . . . . .

Breviter nunc repetamus, quae de chori munere hoc in carmine invenimus: chorus Aeginetarum nobilium luctu affectorum iuvenem victorem celebrat ac laudat, quod maiorum pressisset vestigia, et simul monet, ne inani tumeat superbia, quam sequatur poena. Cogitat de Atheniensibus: non esse constantiam rerum humanarum; fortunam tum huic, tum illi favere. „Spem bonam concipiamus! A deis pendent omnia. Vos, o dei, precor, ut nobis reddatis libertatem!"

Antequam ad XIV. Olymp. transeo, pauca verba faciam de versibus ac verbis a viris doctis restitutis. Est enim transscriptum hob carmen ex ultimo folio lacerati codicis mendis plenum.

Plerasque lectiones comprobo ab Ottone Schroeder in editione novissima receptas. Sed hoc annotandum puto: Versus 4 et 15 (Schroed.), qui sibi respondent in stropha et antistropha, tales sunt in codicibus:

4: κλῦτ', ἐπεὶ εὔχομαι σὺν γὰρ ὑμῖν τὰ τερπνὰ καί
— ⏑ ⏑ — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — ⏑ —

15: κοῦφα βιβῶντα· Λυδίῳ γὰρ Ἀσώπιχον ἐν τρόπῳ
— ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ —

Hi versus inter se non congruunt. Godofredus Hermann primo scripsit τά τε τερπνὰ καὶ in v. 4 et Λυδῷ γὰρ cum Pauwio in v. 15. Sed postea hanc formam Λυδός barbaram esse dixit. Attamen praeter adjectivum Λυδίοι aliquoties invenitur apud nostrum Λυδός: Ol. IX 9 Λυδὸς ἥρως, Ol. I 24 Λυδοῦ Πέλοπος; Λυδίος formam revera saepius usitari a Pindaro scriba fortasse doctus non ignorans hoc peccavit. Cum Parisinus C praebeat τὰ τερπνά τε καὶ, facile atque aptissime cum Christio in editione maiore scribemus:

4: κλῦτ' ἐπεὶ εὔχομαι· σὺν γὰρ ὔμμιν τά τε τερπνὰ καί
15: κοῦφα βιβῶντα· Λυδῷ γὰρ Ἀσώπιχον ἐν τρόπῳ
— ⏑ ⏑ — ⏑ — — ⏑ — — ⏑ — ⏑ —

particula τε adjecta ex Parisino, sed transposita post τά atque forma Λυδῷ posita pro Λυδίῳ. Hoc lenius est quam transponere cum Hermanno et Boeckhio σὺν ὑμῖν γὰρ ex σὺν γὰρ ὑμῖν ac statuere Λυδίῳ δ' pro Λυδίῳ γὰρ. Schroeder vocem τε non addit, sed delet ἐν ante τρόπῳ scriptum. At facilius vox aliqua excidit quam additur; animadverte porro hanc syllabarum inter se similium seriem τά τε τέρπνα; nec libenter desidero praepositionem ἐν in hoc enuntiato Λυδῷ .. ἐν τρόπῳ ἐν μελέταις τ' ἀείδων ἔμολον; huc accedit quod coniectura nostra uno certe codice confirmatur, Schroederi nulla.

Addam nunc pauca de versibus 7/8 et 19/20; in codice versus sic sunt scripti:

εἰ σοφὸς, εἰ καλός, εἴ τις ἀγλαὸς ἀνήρ,
οὔτε[1] γὰρ θεοὶ σεμνᾶν Χαρίτων ἄτερ
— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — | ⏑ ⏑ — —
— ⏑ — ⏑ | — — — ⏑ | ⏑ — ⏑ —
19/20: οὕνεκ' Ὀλυμπιόνικος ἁ Μινύεια
σεῦ ἕκατι μελαντειχέα νῦν δόμον
— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — | ⏑ ⏑ — — |
— ⏑ — ⏑ | ⏑ — — ⏑ | ⏑ — ⏑ —

[1] a Schneidewino correctum in οὐδέ.

Non placebant viris doctis Boeckhio, Hermanno, Kaysero, Christio excepto Schroedero metra versuum 8 et 20, quod — ut Boeckhii Expl. I p. 431 verbis utar — str. β′ habet iambum, qui cum trochaeo numquam apud nostrum commutatur. Ita scripsit Boeckh θεοί τι σεμνᾶν addito τι arbitratus θεοί vocem esse monosyllabam, multa videlicet commutavit Hermannus, quae afferre nil refert, Kayser quem sequebatur Christ conjecit ἁγνᾶν, ut diphthongus vocis θεοί corriperetur. Equidem versuum 8 et 20 metra esse puto trochaicum et glyconeum tale, qualia adhibuit Pindarus in Parthenio fr. 104[d], ubi inter se respondent stropharum et antistropharum hi versus:

v. 26: ἀλλὰ ζωσαμένα τε πέ[πλον ὠκέως
— — — ⏑ | ⏑ — ⏑ — | ⏑ — ⏑ —

v. 36: κεῖνον ὃς Ζεφύρου τε σιγάζει πνοάς
— ⏑ — ⏑ | ⏑ — ⏑ — | — — ⏑ —

v. 43: πολ]λὰ μὲν τὰ πάροιθ[ε μέμναμαι καλά]
— ⏑ — ⏑ | ⏑ — [⏑ — | — — ⏑ —]

v. 48: ἀνδρὸς δ' οὔτε γυναικὸς ὢν θάλεσσιν ἔν
⏑ — — ⏑ | ⏑ — ⏑ — | ⏑ — ⏑ —

v. 65: ἐνῆκεν καὶ ἔπειτ[α δυσμένης χό]λος
⏑ — — ⏑ | ⏑ — [⏑ — | ⏑ — ⏑] —

Prima pars glyconei esse potest et metrum antispasticum et trochaicum.

Nil igitur in his Olympici carminis verbis mutandum.

Sed quomodo Pindarus in hoc carmine chori persona usus est? Totius carminis indole adducor, ut hos versus tribuam iuvenibus, qui ipsorum hic ingeniose proferunt sententias. Nullo loco Pindari apparet persona. Ascribo verba Christi (edit. mai. p. 108) qui ipse legi illi a Mommsenio statutae paret:

„Denique moneo carminis insigni suavitati et Lydiorum modorum decori nec non iuvenili aetati victoris puerorum chorum aptiorem fuisse quam virorum.“ Sed animadverte a Wilamowitzio ita ut a Christo chorum nil nisi instrumentum poetae putari, quod per se numquam quidquam valeat.

Sed qua de causa adaptavit poeta hunc cantum chori indoli, si chorus nil valet, si nil refert, utrum chorus e iuvenibus, e virginibus, e viris constet? Eadem falsa usus ratione Wilamowitz paeanem secundum a virginum choro esse actum confirmat, quo viri dilucide ipsorum spem ac gaudium enuntiant. Quod canit in hoc paeane chorus, non potest cani a virginibus. Quod vero nos decet, demonstratur parthenii illius Pindari versibus 45 sq.:

ἐμὲ δὲ πρέπει παρθενήϊα μὲν
φρονεῖν γλώσσᾳ τε λέγεσθαι.

Non secus ac parthenia sunt virginum naturae adaptata, hoc carmen est adolescentium adaptatum.

Hoc carmen epinicium Charitibus dedicatum a pueris eiusdem aetatis, cuius est puer victor, agitur qui sentiunt pueriliter ac cantant non gravia, sed levia, suavissima. Neque enim insunt adhortationes nec praecepta de ratione vitae degendae. Quam bene quadrant ad puerorum chorum versus 14 sqq. „audi nunc Thalia“:

ἐρασιμόλπε ἰδοῖσα τόνδε κῶμον ἐπ' εὐμενεῖ τύχᾳ
κοῦφα βιβῶντα· Λυδῷ γὰρ Ἀσώπιχον ἐν τρόπῳ
ἐν μελέταις τ' ἀείδων ἔμολον . . .

Postquam quintum illud Pythicum et haec duo vera epinicia a choro pronuntiari vidimus, tractemus nunc ea epinicia, de quibus Mommsen a. l. p. 11 dubitare licere dicit; sunt Pyth. VI, Nem. I, Isthm. VII. Sed hic vir doctus singulos tantum locos in dubitationem vocat nec respicit carmina in universum.

Locus Pythici VI hic est:

1. Ἀκούσατ'· ἦ γὰρ ἐλικώπιδος
Ἀφροδίτας ἄρουραν ἢ Χαρίτων
ἀναπολίζομεν, ὀμφαλὸν ἐριβρόμου
χθονὸς ἐς νάϊον προσοιχόμενοι.

Veteres quoque interpretes dubitant de horum versuum sententia, quorum unus haec annotat: ὁ λόγος ἤτοι ἀπὸ τοῦ χοροῦ ἐστιν ὡς ἐγκωμιάζοντος τὴν πόλιν ὡς εὔφορον, ἤτοι παρὰ τοῦ Πινδάρου πρὸς τοὺς μέλλοντας διακομίζειν τὸν ὕμνον.

Alter haec:

ἀμφιβάλλει δὲ τὰ τῆς φράσεως, καὶ οἱ μὲν Χαρίτων καὶ Ἀφροδίτας ἄρουραν τὴν Ἀκράγαντα ἀκούουσι διὰ τὸ ἐπιτερπῆ τὴν πόλιν εἶναι καὶ ἐράσμιον, οἱ δὲ τὸν Πύθιον ναόν. δύναται δὲ καὶ ἀλληγορῶν ὁ Πίνδαρος τὴν ἑαυτοῦ ποίησιν λέγειν, ὅτι ἐξ αὐτῆς ἐκαρποῦτο τὰ μέλη.

Tertius haec:

ὁ δὲ λόγος ἐκ τῶν χορευτῶν ἤτοι πρὸς ἀλλήλους διαλεγομένων ἢ πρὸς τοὺς ἀναληψομένους τὸ ποίημα.

Scholiastae fortasse arbitrati inesse vocabulo ἀναπολίζειν vocem πόλις illam falsam attulerunt explicationem; sed iam Boeckh recte interpretatur huius vocis vim ita: „ἀναπολίζειν esse de arando satis docent voces πόλος et πολεῖν atque additum ἄρουραν“. Rectam vere viam monstrat nobis scholiasta, qui cogitat de arte poetica. Ac videamus locum quo Pindarus simili utatur imagine: Ol. IX 25 sq.:

ἀγγελίαν πέμψω
ταύταν, εἰ σύν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ
ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι κᾶπον.

Aratores Musarum arvi nominantur poetae Nem. VI 33:

(Βασσίδαι) Πιερίδων ἀρόταις
δυνατοί παρέχειν πολὺν ὕμνον ἀγερώχων ἐργμάτων
ἕνεκεν.

Ac vide Nem. X 26:

(Θεαῖος) Μοίσαισί τ' ἔδωκ' ἀρόσαι.

Ita non est dubitandum, quin poeta loquatur; nullum enim inest vestigium huic carmini, ex quo concludi possit chorum ipsum pompam agentem, non poetam hic loqui. Falso scholiastae dicunt ἐκ τοῦ χοροῦ, falso dubitat Mommsen.

Nec habeo, cur dubitem de carmine Nem. I. Versus qui Mommsenio ambigui videntur hi sunt (19 sq.):

ἔσταν δ' ἐπ' αὐλείας θύραις
ἀνδρὸς φιλοξείνου καλὰ μελπόμενος
ἔνθα μοι ἁρμόδιον
δεῖπνον κεκόσμηται, θαμὰ δ' ἀλλοδαπῶν
οὐκ ἀπείρατοι δομοὶ
ἐντί.

Scholiasta dubitat: ἀμφίβολον πότερον ὁ χορὸς ἢ ὁ ποιητὴς τοῦτό φησι. δύναται γὰρ ὁ χορὸς λέγειν ἐφ' ἑαυτοῦ κυρίως, δύναται δὲ καὶ ὁ Πίνδαρος μεταφορικῶς εἰπεῖν κτλ.

Haud quaquam μεταφορικῶς hunc locum intellegendum puto. Quid ante hos versus dicitur? Quid subsequitur? Loquitur Pindarus de sua arte poetica, qua praedicat suo tempore quaecumque sunt praedicanda; accucurrit cum carmine suo; stat ipse pro Chromii victoris aedibus; carmen tradidit choreutis canendum. Hospitio accipitur a Chromio rogaturque ad cenam ad δεῖπνον; est enim Chromios φιλόξεινος, Pindarus ὁ ξεῖνος: θαμὰ δ' ἀλλοδαπῶν οὐκ ἀπείρατοι δόμοι ἐντί. Particula δέ hoc loco ut saepe apud Pindarum causam aferre mihi videtur neque astipulor Dissenio qui θαμά idem esse atque ἅμα dicit. Exemplis ab hoc viro docto allatis mihi non persuadet. Ubicumque θαμά legimus, haec vox aut est falso scriptum pro θ' ἅμα aut ἅμα, cui falso a veteribus iam praescriptum est τ vel potius θ aut haec vox omnino valet συνεχῶς, πυκινῶς, διηνεκῶς ut testimonium afferam Suidae vel θαμινά, συνεχῆ ut Hesychii. Praeterea hunc nostrum locum veteres interpretes eodem modo intelligere voluerunt, cum ascribunt: συνεχῶς γὰρ τοὺς ἐκ τῆς ἀλλοδαπῆς ὑποδέχονται γῆς. Sic omnia apta ac pulchra sunt. Pindarus est ille ξεῖνος, Pindarus hospitaliter excipitur ab hoc viro qui τοὺς ἀλλοδαπούς — quis hic dubitat, quin hi non sint cives, choreutae — saepe excipere solebat.

Sed de Isthmico septimo fortasse dubitare licet; haud scimus an a choreutis dicatur v. 39:

ἀείσομαι χαίταν στεφάνοισιν
ἁρμόζων· ὁ δ' ἀθανάτων μὴ θρασσέτω φθόνος.

Tamen non haereo; animadverte ea quae versibus 16 sq. dicuntur:

ἀλλὰ παλαιὰ γὰρ
εὔδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί,
ὅτι μὴ σοφίας ἄωτον ἄκρον
κλυταῖς ἐπέων ῥοαῖσιν ἐξίκηται ζυγέν.

Memoriam habemus illorum septimi paeanis versuum, quibus Pindarus σοφίας se ingredi ὁδόν dicit; quam viam ingressum se adepturum immortalitatem. Poetae gloria manet in aeternum, non chori. Nec contemnendum scholiastae propositum ad v. 39: ὁ λόγος ἐπαμφοτερίζει. ἤτοι γὰρ τὴν ἐμαυτοῦ κεφαλὴν ἁρμόσας τοῖς στεφάνοις ἀείσομαι τὸν ἐπίνικον ἢ οὕτω· τὸν ἐπίνικον ἄσω τὴν τοῦ νικηφόρου κεφαλὴν τοῖς στεφάνοις ἁρμόζων φησὶ δὲ τοῖς μουσικοῖς. Non plane hanc alteram sententiam comprobo illa reiecta. Equidem hunc locum μεταφορικῶς intellego dici. Eandem enim imaginem Pindarus de sua arte poetica, de carmine suo usitat Ol. I 103:

ἐμὲ δὲ στεφανῶσαι,
κεῖνον ἱππίῳ νόμῳ
Αἰοληίδι μολπᾷ χρή.

Isthm. III 61:

προφρόνων Μοισᾶν τύχοιμεν,
κεῖνον ἄψαι πυρσὸν ὕμνων,
καὶ Μελίσσῳ, παγκρατίου στέφανωμ' ἐπάξιον.

Sed omnia perlustrare epinicia nolui, tantum mihi proposui ut in epiniciis munus chori cognoscerem. In Pyth. VIII et Ol. XIV et in Pyth. V quod non est verum epinicium, chorum ipsum totum per carmen loqui, in Pyth. VI, Nem. I, Isthm. VII poetam suas referre sententias mihi persuasi. Neque ulla coactus lege poetae explanare conabar haec carmina, sed permotus natura, indole, sententiis singulorum carminum rem diiudicare studui.

Pindarus in aliis paeanibus ex sua persona loquitur, alios choro pepigit paeanes choro proprios. Similiter res se habet in epiniciis, quamquam concedendum est multo rarius poetam in epiniciis chorum loquentem facere quam in paeanibus. Hoc non est mirum, epinicia singulis hominibus sunt dedicata, paeanes civitatibus; hos recitatum iri a civibus poeta scivit, qui illa canturi essent, vix curavit. Sed parthenia pro rerum natura omnia, a virginibus cantata, e virginum persona pronuntiantur.

Vita.

Natus sum Imre Mueller in Hungariae vico Boicza a. d. XVII kal. Aug. anni 1891 patre Carolo matre Anna e gente Holicska. Fidem profiteor evangelicam. In Bornheimensi schola publica, quem in vicum pater meus anno 1896 remigraverat, rudimentis imbutus adii primum progymnasium Alticiense, tum gymnasium Darmstadtiense quod dicitur novum, ubi anno 1910 maturitatis adeptus sum testimonium. Petivi Heidelbergensem universitatem, ut darem operam studiis philologis. His studiis hoc loco sex per menses incubui, Gissis per quattuor semestria, per unum semestre Friburgis, unum iterum denique per annum Gissis. Sodalis seminariorum philologicorum per tria semestria fui moderantibus Koerte, Immisch, Behrens, Kalbfleisch; docuerunt me praeter hos inprimis F. Neumann, F. Schoell, Oncken Heidelbergenses, Siebeck, Messer, Watzinger Gissenses, E. Schwartz, Reitzenstein, Rickert Friburgenses, quibus omnibus gratias ago; sed summam debeo gratiam Alfredo Koerte, qui cum in studiis meis tum in hac dissertatione conscribenda ac imprimenda liberaliter ac benignissime me adiuvit. Nam nunc stipendia facio pro patria.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
881P4.YMU C001
QUOMODO PINDARUS CHORI PERSONA USUS SIT.
3 0112 023815019